

gicie

ices;

lorum

de

onis

delle






Oelz 137 Dd









C. V.

(2)

G A S P A R I S  
S C I O P P I I

CÆSARII ET REGII

Confiliarij

PAEDIA POLITICES  
Siue

SVPPETIÆ LOGICÆ  
*Scriptoribus Politicis lata*


ADVERSVS ΑΡΑΙΔΕΥΣΙΑΝ ΕΤ  
Acerbitatem Plebeiorum quo-  
rundam iudiciorum.



---

MEDIOLANI, Apud Io. Bapt. Bidell.  
M. DC. XXIV.

Potest denuò imprimi  
Fr. Vinc. Aquens. Prouic. S. Officij Med.  
Fr. Al. Bariola Consultor S. Offitij pro Ill.  
lustrissimo D. Card. Archiepisc.  
Vidit Saccus &c.



3

*Lectoris Admonitio.*



Vo minus nouum aut mirū tibi accidat, Lector beneuole, qđ multis Politicorum censuris Apædensiæ dicam scribo, ipsum Aristotelem Ethicorū Eudem lib. 1. cap. 6. prius à te velim consuli. Ibi enim duo quædam inuenies; quæ non in illorum magis temporum æquales, quàm iam homines ætatis nostræ dicta videantur. Primum ait, quibusdā, qui de Politicis rebus differant, non parum sæpe vsu venire, vt in mediū afferant *ἀλλοτροίους λόγους τῆς πραγματείας καὶ κενούς*, idest, *rationes à negotio proposito alienas atque inanes*. Deinde, contingere non raro, vt homines vsu periti, & in rebus agēdis versati ab alijs disputando vincantur, qui artem ipsam ciuilem siue Politicam non didicerint, nec rerum ciuiliū vsu habeant. Vtriusque verò rei cause eorum, qui vincuntur aut aliena afferunt, apædensiæ assi-

biap

A 2 gnat,

ed.  
oll.



gnat, quæ quid sit, totidem ver-  
 bis mox declarat: Ἀπαιδευσία ἐστὶ  
 περὶ ἑκαστον πράγμα τὸ μὴ δύνασθαι κρι-  
 νειν τὸς τε οἰκείους λόγους τῷ πράγματι, καὶ  
 τῶς ἀλλοτριῖς. Idest, Ignoratio Pædia  
 est, non posse iudicare in vnaquaque  
 re, quæ rationes propria, quæ alienæ  
 afferantur. Atque hinc intelligi po-  
 test, vt quis rectè de Politicis dis-  
 ferat, nequaquam satis esse, si vel  
 multo studio, vel rerum hominū-  
 que vsu Politicam didicerit, sed  
 hoc amplius requiri, vt sit *παιδευ-  
 μένος*, siue Pædia instructus,  
 quod ipsum tertio Politicorum  
 capite septimo, vel vndecimo in  
 hunc modum affirmat: ἰατρὸς ὅτε  
 δημιοργός, καὶ ἑ ἀρχιτεχνονόος, καὶ ἱπ-  
 τὸς ὁ *παιδευμένος* περὶ τῶν τέχνην.  
 εἰσὶ γὰρ ἴνες τοιοῦτος περὶ πᾶσας, ὡς ἐ-  
 πᾶν, ἰὰς τέχνας. Ἀποκρίδομεν δὲ τὸ κρι-  
 νειν ἔδεν ἢ τῶν τῶς *παιδευμένοις* ἢ  
 ἴης ἐδόσιον. In his verbis fæde inter-  
 pretes allucinantur, existimantes  
*παιδευμένον* περὶ τῶν τέχνην esse  
 vsu peritum artis, siue, qui à pueritia  
 expertus sit circa artem, cum re vera  
 is sit, q̄ ex Analyticis didicerit;  
 quid

quid in arte rectè secusve trada-  
tur, quid proprium sit siue homo-  
genèum, quid heterogeneum, si-  
ue alienum. Alius nempe Medi-  
cinam facit siue exercet, nesciēs  
quare hoc aut illud faciat, qui est  
velut opifex, siue vsu peritus aut  
empiricus; alius artem medendi  
scit, vt causam possit reddere,  
cur quicque faciendum sit, qui ve-  
lut Architectus præst operi: ali-  
denique quamuis nec vsum, nec  
scientiam medendi habeat, nouit  
tamen, quid malè aut bene ab eo  
dicatur, qui Medicinam docet,  
vel de illa differit, qui est *ἡγεμὼν*  
*ἰατρικῆς* in arte medica, sicut alij  
in alijs artibus, nonnulli quodā-  
modo in omnibus. Recte igitur  
princeps Peripateticorum Nun-  
nesius in Physicarū institutionū  
præfatione, vbi accuratissimè  
nec minus elegāter de Pædia dif-  
ferit, sic Aristotelis verba cōuer-  
tit: *Medicus est & Faber, & Archi-*  
*tectus, & tertius, qui Pædian tenet*  
*artis. Sunt enim tales in omni prope*  
*arte periti, quibus tam concedimus in-*

A 3 dicare

dicare de artibus, quam ijs, qui scientiam tenent. Idem ipsum Philosophus de Scientia & Pædia principio libri primi de partibus animalium docet, sed quid sibi velit, propter locum infeliciter Latine à Theodoro Gaza redditum, parum multi percipiunt. Verba eius sunt. Περί πάσων θεωρίων καὶ μεθόδων, ἰμοίως ταπεινότερα τε καὶ τιμιότερα, δύο φαίνονται τρόποι τῆς ἐξέως εἶναι. ὧν τὸ μὲν ἐπιστήμη τῶν πραγμάτων καλῶς ἔχει προσαγρεύειν, τὴν δὲ οἶον παιδείαν τὴν ἄ. Περὶ παιδευμένων γὰρ ἐστὶ κατὰ τρόπον τὸ δύνασθαι κρῖνειν ἐν στόχῳ, τί καλῶς, ἢ μὴ καλῶς ἀποδίδωσιν ὁ λέγων. Putat Gaza Pædian esse Peritiam, siue notitiam ex usu, cum sit τρόπος τῆς μεθόδου, velut ipse docet Aristoteles in extremo eiusdem libri primi, idest, ratio, modus, viæque tradendi, vt ibi rectè ipse Gaza interpretatur, quam aliter Aristoteles in calce primi Metaphysici minoris τρόπος ἐπιστήμης, idest, Scientie modum appellat. Proinde nec περὶ παιδευμένων est probe peritus, vt Gaza vertit, sed Analyticus

cus siue Pædia instructus, qui no-  
nit, qua via ac modo artes & di-  
sciplinæ tradi debeant. Tandem  
male Gaza Methodum interpre-  
tatur *viam & rationem docēdi*, quasi  
eadem esset ac Pædia, cum Aristo-  
teli solemne sit ea voce vti pro co-  
gnitione, arte, scientia, quod &  
interpres eius Alexander in pri-  
mo Topicorum testatur. Locum  
igitur totum rectius sic conuerte-  
rimus: *In omni contemplatione &  
disciplina, tam nobiliori, quam ignobi-  
liori, duos esse habitus apparet, quo-  
rum alterum rei scientiam, alterum  
Pædian quandam, seu tractandi mo-  
dum, recte quis appellauerit. Eius  
enim qui Pædian habet, munus est pos-  
se solerter iudicare, quid rectè, aut  
quid non rectè explicet is, qui dicit.*

Iam cum Pædiæ sit rei ad tra-  
ctandum propositæ *οἰκία* siue sua  
ac propria, Apædeusiæ vicissim  
*ἀλλότρια*, siue aliena in medium af-  
ferre, non illū modò *ἀπὸ τοῦ οὐραίου*,  
idest, nulla Pædia, nulloq; dele-  
ctu differere Aristoteles insinua-  
lat, qui ea, quæ Loco, sed etiam

qui quæ Genere aliena sunt, tractat. De ijs, quæ *Loco aliena* sunt, totus liber primus de partibus animalium argumento fuerit, cū in cōstituenda eius tractationis Pædia hoc potissimū consilio occupetur, ne sæpius eadem iterare, siue de ijsdem rebus pluribus locis dicere sit necesse. Itaque ut suo quicque loco diceretur, hunc Physiologiæ limitem siue terminum, id est, methodi præceptum fixit, ut à generalioribus ad specialiora fiat progressus. Sic enim fit, ut quæ in Generis tractatione diximus, posterius in explicandis eius formis siue speciebus iterare nunime necesse habeamus.

Quæ *Genere* sunt *aliena* siue alterius generis, vel ad ipsum artis aut disciplinæ subiectum pertinent, vel ad instrumenta, quorū in subiecto quoque tractando usus est. Itaque in III. Metaphysic. III. quibusdam Philosophis, ut ignorarent quid Physico, quid primo Philosopho seu Metaphysico subiectum sit, *Al' ἀπὸ τοῦ φυσικοῦ*

9

τῶν ἀναγογῶν, propter Analytico-  
rum pædiæ inscitiam vsuuenisse affir-  
mat, nec minus Rhetoribus, vt  
se pro Politicis venditarent, in  
1. Rethor. 1. r. quoniam scilicet fi-  
nes artium Politicæ & Rhetori-  
cæ, siue quid vtrique earum pro-  
prium, quid alienum esset, ex A-  
nalyticis indicare non didice-  
rint. Illa enim docent Pædiam,  
idest, artis cuiusq; tractandi mo-  
dum & viam, cuius inter prima  
pæcepta est, vt demonstrationes  
sint propriæ, non alienæ, neu de  
genere ad genus fiat transitus.  
quod pæceptum à Pythagora ne-  
glectū fuisse in principio Magnō  
rum Moralium queritur, ἐτι τὰς  
ἀρετὰς εἰς τὰς ἀριθμῶν ἀνάγωμα, ἐν οὐκείῳ  
τῶν ἀρετῶν τῷ βιωγ' αὖ ἐκείνῳ σαφί, quo-  
niam virtutes ad numeros referens ne  
quaquam ea inquirendi vsus fuerit ra-  
tione, quæ esset virtuti sua aut p̄pria.  
Eiusdem culpæ statim reum agit  
Platonem, partim quod virtutē  
cum tractatione eius, quod per  
se bonum est, miscuerit, partim  
quod cum de humano bono di-



cere instituisse, de Deorum bo-  
 no egerit. Rationem sic reddit:  
*ὡ γὰρ ὁμῶς*, non enim hoc ei di-  
 sputationi proprium, sed alienū  
 est. *οὐδὲρ γὰρ τούτω ἡμῶν, κωνῶν*,  
 non enim huic & illi quicquam com-  
 mune est. ὑπὲρ τούτου καὶ ἄλλος λόγος,  
 καὶ ἄλλοτρία ἢ σκέψις, super illo alte-  
 rius loci sermo, & aliena eius est con-  
 sideratio. Eamdem Apædeusiæ no-  
 tā 111. Metaphys. iv. Philosophis  
 illis inurit, qui omnium princi-  
 pia, cum certa sint, & probatio-  
 nem habeant nullam, probare  
 nihilominus conantur. *ἐστὶν γὰρ*  
*ἀπαιδευσία, τὸ μὴ γινώσκων τίνων δεῖ*  
*ζητᾶν ἀπόδειξιν, καὶ τίνων οὐ δεῖ.* Est  
 enim pædiæ inscitia nescire, quorum  
 oporteat quærare demonstrationem,  
 quorum verò non oporteat. Idem ip-  
 sum habet argumenti, quod prin-  
 cipio quarti Politicorum Platonem  
 multa quidem præclara de  
 optima Repub. scribere, ab vti-  
 litate tamen aberrare insimulat,  
 nam politica est utilitatis publi-  
 ca scientia, siue eorum, quibus  
 uti possumus ad condendū tuen-  
 dum-

dumque statum. quorū ergo nul-  
 lus eam ad rem vsus est, sunt cen-  
 senda Aliena, neque sine ap̄deu-  
 sia in schola politica tractari pos-  
 sunt. Alienæ quoque sunt poli-  
 ticorum præceptorum rationes,  
 quamuis veræ, quamuis vtilis, si  
 ad sublimiores scientias perti-  
 neant, neq; πεπαιδωμένως, seu pe-  
 dia præditus existimabitur, qui  
 eas vel ipse ad disputandū aduo-  
 care, vel ab alijs exigere fuerit  
 ausus. Hoc in principio Ethico-  
 rum Nicomachiorum Aristote-  
 les his verbis perspicuè docet :  
 πεπαιδωμένως, idest eius qui p̄dian  
 didicit, munus est eatenus exactam in  
 vnoquoque genere explicationem re-  
 quirere, quatenus pati rei ipsius natu-  
 ra potest. Simile enim vitium vide-  
 tur Mathematicū verisimilibus vten-  
 tem approbare, & ab Oratore demon-  
 strationes exigere.

Atque ex istis Aristotelis au-  
 thoritatibus explorato indicari  
 potest, quaten⁹ de Principis pie-  
 tate in acroasi politica præcipi  
 debeat. Cum enim pietas iusti-

tia species sit, iustitia verò philo-  
 sophiæ morali subiiciatur, nō est  
 dubium Principi à parentibus &  
 domesticis morum magistris ve-  
 ram pietatem accurate instillari  
 debere. Rursum cum eadem sit  
 inter causas administras siue in-  
 strumēta salutis animæ, eius tra-  
 ctatio ad Theologiam pertinet,  
 adeoque Theologi eiusque qui  
 verbum Dei prædicat, officium  
 est, Principem ad pietatem inflā-  
 mare. Politicus & ipse Pietatem  
 ei præscribit, non aliter tamen,  
 quam quia sit ad conseruandum  
 statum utilis. nam Finis artis cu-  
 iusque vel disciplinæ omnium a-  
 diumentorum siue instrumento-  
 rum (vulgo Mediorum) ad finem  
 idoneorum mensura seu norma  
 est. Quicquid ergo in Politica  
 præcipitur, nisi vim habeat effi-  
 ciendi Finem eius, qui est Status  
 conseruatio, nequaquam *vincit*,  
 siue proprium, sed alienum me-  
 ritò perhibetur. Pietas igitur cū  
 ingentes ad conseruandum Sta-  
 tum vires habeat, omnino à Poli-  
 tico

tico præcipi debet. Sed cum aliã  
 eius Vtilitatem ex Theologia si-  
 ue sacris literis, aliam ex Politi-  
 ca vitæque ciuilis vsu notam ha-  
 beamus, Pædia postulat, vt suam  
 vterque doctor, non alienã Vti-  
 litatem commemoret. Sicut er-  
 go Theologus Principemhorta-  
 bitur esse Pium, vt Deum sibi red-  
 dat propitium, eoque pacto, &  
 imperium eius prosperetur, &  
 anima salua fiat, quoniam *Deus*  
*glorificantes se glorificat*, 1. Reg. 2. &  
*Pietas ad omnia utilis est, promissio-*  
*nem habens vitæ, quæ nunc est, & fu-*  
*turæ*, 1. Tim. 4. Similiter Politicus  
 Pietatem ante omnia Principi cõ-  
 mēdabit, quoniam ea hominum  
 animos illi reddat propitios, vt  
 eum cum ament, tum reuerēan-  
 tur, quibus duabus rebus impe-  
 rium conseruari palam est. Nam  
 qui Pius est, Deo reddit debitũ,  
 adeoq; iustus est & vir bonus, vi-  
 de aliorum erga illum existit A-  
 mor: & cum Deus sit iustus, abes-  
 se nõ potest, quin Principem sui  
 amantem & reuerentẽ redamet.

&amp;

& aduersus inimicos tueatur, vnde cum ab hominibus respectari colique contingit. Sic, inquam, & Theologus, & Politic<sup>9</sup> de Pietatis vtilitate præcipere, non alter alterius fines debet inuadere, nisi suspicionem mouere velint, se cum Rationem nobis à Deo datam, tum rationis Artē diuino beneficio à Philosophis inuentam & traditam nihili facere, eaque inuita nullo discrimine quiduis quouis loco inculcare velle. Quis dubitet, quin Morborum omnium causa sint peccata? Neq; tamen Medicus *anatomicalis*, imò stoliditatis instā effugerit reprehensionē, si de causis Febriū disputans peccati *Originalis & Actualis* mentionem inferat, eumque qui morbis carere velit, peccata fugere iubeat. Vt enim verissima sit eius disputatio, neque non multiplicē hominibus afferre possit vtilitatē, tamen quoniam *in ciuēap*, nō suā, aut propriam, sed alienam & heterogeneam esse constat, ea super-

per-

perfedere, nec in alterius artis  
 fines inuadere debuir. Similiter  
 igitur Politicus Pædiæ legibus  
 parere, eaque quæ alterius sunt  
 generis, quamuis veriffima fint  
 & vtiliffima, ab Acroafi fua sub-  
 mouere debet. Cetera Pædiæ ip-  
 fuis noftræ lectio aperiet. Vale.



# GASPARIS SCIOPPII

PAEDIA POLITICES,  
seu suppetiæ Logicæ.

Politico  
am mul  
orū im-  
robitas



Um sine controuersia in-  
gens sit plerorumq; im-  
probitas & impietas, qui  
hodie Politici perhiben-  
tur, in primisq; eorum, qui à regi-  
bus ac principibus singularis pruden-  
tiæ opiinonem consecuti consuli ac  
sentētias rogari solent (horum enim  
consilijs, si verum quærimus, nullo iu-  
sti iniustique discrimine resgeri, reli-  
gionem, fidem, iustitiā proprio emo-  
lumento posteriora duci, orbem Chri-  
stianum dissidijs, turbis, ac bellis in-  
festari, non dubium denique exitur  
regnis ac prouincijs comparari faten-  
Iniqua dum est) nullo tamen genere minor  
nultorū complurium videtur iniquitas &  
le Politi acerbitas, qui de optimo quoque &  
is docto perfectissimo artis Politicæ doctore  
ibus iu- faciunt iudicia. Cum enim Politica  
licia. in tradendis ijs tota occupetur, que  
vtilia

vtilia sunt condendo & conseruando imperio aut Statui publico, vix vtilitate commemorare scriptor Politicus potest, quin nullam iusti & honesti rationem ducere ab istius notæ censoribus existimetur. Vt autem alias, Iniquitas similiter hic, tantæ iniustitiæ fons & origo est Imperitia. Nam vt ait Comicus:

*Hoīe imperito nūquā quicquā iniustus.*

*Qui nisi qđ ipse facit, nihil rectū putat.*

Imperitiæ porro causa est, quod Logicam non satis didice re, quæ rationis ars est, adeoque in iudicio de subiectis artium & disciplinarum fœde allucinantur, hoc est, ratione in re maximi momenti sine vitio vti nequeunt. Quamuis autem hoc in primis *παράδοξον*, & incredibile visum iri sciam de hominibus, qui non modo se curriculum Philosophiæ confecisse, sed etiam artem Logicam non minus, quam cæteras Philosophiæ partes, alijs præcipere posse gloriantur, non tamen vereor, ne fidē apud eos non inueniam, qui suis ponderibus res examinare sciunt, neque sibi iudicium aliena auctoritate extorqueri patiuntur. Vt autē res tota fiat planissima, distinctius de natura Logicæ quædam monebo, tum quam longe

Nata  
ignora  
tione  
gices.

Multi  
gica  
tores  
sum e  
artis i  
orant.

ge

ge ab eius præceptis recedant, qui no-  
tionem censoriam tam acerbè in Po-  
liticis scriptis exercent, quam potero  
breuissime demonstrabo.

Logicæ igitur, quemadmodum &  
reliquarum artium perfectio in qua-  
tuor rebus spectatur, quæ sunt Finis,  
Materia (aliter subiectum, siue obie-  
ctum) Officium, & Instrumenta.

*Finis* est extremum illud, ad quod om-  
nia præcepta referuntur, cum ipsum  
alio non referatur, quod in Logica  
est *Differere*, ex quo, *Ars differendi* de-  
finitur, id est, ratione tractandæ cu-  
i subiecti in suis rei propositæ. *Obiectum* est vel  
internum. Internum siue artis, vel externum siue  
artificis. Internum sunt præcepta,  
quæ in arte traduntur, vt in Logica in-  
ueniendi ac disponendi præcepta.  
*Obiectum Externum* est, in quo cognito artis  
præcepta exercentur, siue ad rem con-  
feruntur, aut ad vsum applicantur.  
Tale Logicæ *Obiectum* est *Questio*  
aut *Thema*, siue id, de quo agitur, aut  
res ad differendum aut tractandum  
proposita, eaque vel simplex, vel com-  
posita aut coniuncta, ex subiecto ni-  
mirum, & attributo constans. *Officium*  
est opus extremum, quod ab artifice  
præstari oportet, vt sine proposito po-  
uiatur. Sic in arte Logica officium est  
diri-

dirigere & rectificare mentis actio-  
 nes siue operationes, ne quid, dum ra-  
 tione utimur, vitij faciamus. Artes Ars iuu-  
 enim iuuandæ naturæ inuentæ sunt, dæ natu-  
 vt nimirum caueantur vitia, quæ ab ræ inue-  
 ijs admitti obseruatum est, qui natu- ta.  
 ralem modò artis vsum habent, sicut  
 ijs, qui nullis logicæ præceptis instru-  
 cti de rebus disserunt, vsum venire ap-  
 paret, vt allucinentur ac velut ratio-  
 nis solæcismum faciant, siue illi sim-  
 plicia apprehendant, siue compo-  
 nant aut diuidant, siue denique argu-  
 mententur, aut inueta ordinēt. nam  
 quicquid mens agit, istorum aliquid Actioe  
 sit oportet. Sicut autem sermonis vi- mētis si-  
 tia, quæ puritati aduersantur, sunt ne ratio-  
 omnino quinque, Barbarismus, Solæ vitia fe-  
 cismus, Nouatio, Peregrinitas, & Ar- monis.  
 chaismus, siue obsoleti verbi vsum: si-  
 militer Rationis in vniuersum quin-  
 que numerantur vitia, Obscurum,  
 Ambiguum, Falsum, Inconsequens, Vitia ra-  
 & Alienum. Nam quicquid ad tra- tionis.  
 ctandum de re proposita affertur, aut  
 explicationis, aut demōstrationis gra-  
 tia adhibetur, ex quo argumentum, Vsum ar-  
 vel *Exegeticum* siue explicans, vel *Apo- gumenti*  
*dicticum*, siue probans, existit. *Expli- Logici*  
*care* est quæstionis seu rei proopositæ duplex.  
 naturam declarare per definitionē, re. Explica-  
 di-

distributionē, causas, effecta, subiecta, adiuncta, totū, partes, paria, similia, cōnexa, maiora, minora, dissimilia, antecedentia, consequentia, contraria, reprobata, quęque istis subiiciuntur. *Probare* est aliquid medium afferre, cuius vi prædicatum de subiecto rectē affirmetur aut negetur. Nisi autem intelligatur quod affertur, nec ad probandum, nec ad explicandum erit idoneum. Obscuritas porro causa est, ut planē non intelligatur, Ambiguitas vero, ut aliter, atque oportet, intelligatur, Probando vero ineptum est, si sit vel falsum, vel inconsequens: quorum illud in compositione & diuisione, siue in enuntiatione, hoc autem in argumentatione spectatur. Quod denique Alienum est, nec explicatio-  
*Alienū duplex.* ni, nec probationi est accomodatum. *Alienū genere.* Potest autem dupliciter alienum considerari. Nam aut est prorsus heterogeneo, seu diuersi generis, ut cū q̄s in physicis argumenta affert mathematica, & in politicis, aut medicis theologica, quod vulgo vocant, *De genere in genus transire:* aut cum sit eiusdem quidem generis, & rem propositam explicandi aut probandi vim habeat, tamen prius aut posterius, non præsentis loco afferri debet. Nam methodus

Alienū duplex.

Alienū genere.

Alienū loco.

dis  
 loco  
 fio  
 tur. I  
 ars lo  
 obse  
 guēd  
 tibus  
 dis: c  
 que c  
 lat(q  
 di leg  
 scrib  
 tant)  
 ac pr  
 vapu  
 Pe  
 quor  
 artif  
 quid  
 Dispa  
 Eloc  
 exco  
 nem  
 dam  
 est a  
 tres  
 Axio  
 dus.  
 cās c  
 mat

deus doctrinæ siue artis suo quidque loco collocare iubet, vt vitetur confusio, qua veritatis cognitio impeditur. Ista igitur rationis sunt vitia, quæ ars logica corrigere vel cauere docet, obscuris illustrâdis, ambiguis distinguendis, falsis refellendis, inconsequētibus eneruâdis, & alienis excludendis: cui cōsequēs est, vt qui in quacūque disputatione afferri aliena postulat (quæ faciunt qui scriptores Methodi legibus seruientes, & aliena circūscribentes reprehendere non dubitant) eos ratione non satis sincerè vti, ac propterea in schola Logica merito vapulare fateamur.

Logica  
docet  
corrigere  
vitia  
rationis.

Postremo instrumēta artis ea sūt, quorum adiuumento, siue ope, præstat artifex, quæ sui sunt officij. Et logicę quidem instrumenta sunt *Inuentio* & *Dispositio*, sicut Rhetoricæ propria *Elocutio*, & *Actio*. Inuentio est ratio excogitandi argumenti ad quæstionem tractandam, id est, vel explicandam, vel probandam. Dispositio verò est apta inuentorum collocatio, cuius tres sunt species, Enunciatio, siue Axioma, Argumentatio, & Methodus. Cum enim argumentum explicās collocatur cum quæstione, vel the-

Instru-  
mēta Lo-  
gicæ.  
Inuētio.

Disposi-  
tio.

Enūcia-  
tio.

aut

Enuncia  
tio.

aut *Propositio*, in qua thema simplex est id, de quo argumentum dicitur, argumentum uero explicans est id, quod de themate dicitur, ut si dicam, *Virtus est habitus: Virtus*, est quaestio, siue thema simplex, *Habitus* est argumentum explicans. Cum uero argumentum probans collocatur cum themate coniuncto, dicitur *Argumentatio*, ut si dicam, *Virtus est Habitus, cum crebris actionibus acquiratur*. Cum denique certa ratione alia argumenta & argumentationes priore, alia posteriori loco collocantur, dicitur *Methodus*. Verbi gratia. Inueni Virtutis definitionem, diuisionem, causas, effecta, subiecta, adiuncta, partes, consentanea, dissentanea, sed aliud horum prius, aliud posterius colloco, quonia eius rei certas habeo causas, nimirum aut ueritatem, ut natura thematis, id

Argumē  
tatio.Metho-  
dus.Est vel  
doctrinæ  
Vel Pru-  
dentia.

est, uirtutis rectè cognoscatur (quæ *Methodus doctrina* uocatur) aut per sonas, tempora, loca, aliasque rerum appendices, siue attributiones, aut circumstantias, quæ iam *Prudentia* est *Methodus*.

Videamus nunc, in quibus artis politicae constet perfectio, ut de iudicio istorum, qui tam inclementer de scriptoribus politicis statuunt, id quod

dixi

dixi  
Fin  
seu  
finitu  
ad vi  
tia ne  
hom  
lint v  
offici  
sol<sup>9</sup> s  
requ  
ctum  
spubl  
aut i  
corri  
ta su  
cond  
publ  
statu  
tui co  
Spir  
vide  
posit  
facia  
D  
coru  
lunt  
tis p  
trad  
exist  
esse

dixi fiat perspicuum.

Finis ergo Politices est Beatitudo, seu felicitas ciuilis, quæ *εὐταρχεια* de- Finis Po  
finitur, id est, copia rerum omnium litices.

ad viuendum commodè & ex sententia necessariorū, nam hæc res est, quæ homines impellit, vt in societate velint viuere, quoniã mutuis iuuantur officijs, nec quisquam inuenitur, qui sol<sup>o</sup> sibi præstare possit, quæ vitæ vsus requirit. Materia subiecta, vel obie-

ctum huius artis est Status, aut Re-  
publica. Officium, partim condere  
aut instituere, partim conseruare, &  
corrigere rempublicam. Instrumen-  
ta sunt, vtilia & noxia publicè. nam  
conditurus aut conseruaturus rem-  
publicam, necesse habet effugere, quæ  
statui nocent, præstare verò, quæ sta-  
tui conducunt, vt fiat quod vniuersè  
Spiritus Sãctus monet: *Qui vult dies  
videre bonos* (siue, cui velut finis pro-  
posita est felicitas) *declinet a malo, &  
faciat bonum.*

Obiectū  
Politice.  
Officiū

Instru-  
menta.

Dupliciter igitur errant isti Politi-  
corum censes, cum quod in arte no-  
lunt tractari, quæ sunt *οἰκεῖα* siue ar-  
tis propria, tum quod postulant ea-  
tradi, quæ sunt aliena. De priori hinc  
existimari poterit. Proprium artis  
esse obiectum, siue, obiecti tractatio-

Iniqui  
politico  
rū censa  
res dupli  
citer pec  
cant.

nem

nem ad artem pertinere, nemo nisi palam insanus negauerit. Respublicæ igitur eiusque formæ omnes, siue species, quæ politicæ obiectum sunt, à politico tractari debent, ita vt præcipiat, quæ cuique formæ sint vtilia, & noxia, siue quæ sint causæ, siue modi instituendi, conseruandi, & euertendi singulas reipub. species. At enim isti vitiosas reipub. formas, præcipuè verò tyrannidem, ab arte exclusam volunt, quod tyrannidis condendæ aut conseruandæ præcepta tradi piculare censeant. In quo quantum eos ratio fugiat, non modo disputatio, sed & exemplū Aristotelis ac D. Thomæ luculentè demonstrauerit. Quod ad disputationem eorum attinet, de politicæ subiecto cum absolutè, tum comparatè agunt. *Absolutè* quidem, dum demonstrant, Politici esse, non tantum de optima, sed etiam de qualicumque reipub. forma, quãuis deteriori & vitiosa, præcipere. *Comparatè* autem, dum politico plus de vitiosis, quam de rectis & laudabilibus reipubl. formis, laborandum esse affirmant: quod nihil est aliud dicere, quam tyrannidem cæterasque vitiosas formas esse artis politicæ obiectum, & quidem magis proprium, quam

Nolunt tractari artis propria.

Eorum errorem Aristoteles, & D. Th. confutât argumentis.

qua  
laud  
nic  
rū a  
mæ  
spu  
mu  
rum  
dem  
bus  
nos  
ac fi  
tabi  
pro  
præ  
loru  
nim  
cos  
libe  
alio  
ter  
pia  
id e  
rit,  
est,  
tan  
uar  
ex b  
for  
nis,  
mo

quam Regnum aliasque rectas, & laudabiles formas. De priore inueniet Lector principio quarti Politico r̄ū accuratam Aristotelis, & D. Thomæ in eius libri commentario disputationem, qua quod veri Politici munus & officium sit, quamque parum Plato illud custodierit, operose demonstrant. Quatuor porrò partibus id describunt, quarum *Prima* est nosse, quæ reipub. forma sit absolutè ac simpliciter optima, maximèq. optabilis: *Alter*a nosse, quæ sit optima pro conditione rerum copiarumque præsentium, nam quorundam populorum ingenia ad optimam illam minime sunt accommodata, sicut Asiaticos Agefilaus in seruitute bonos, in libertate pessimos esse aiebat: apud alios verò rerum ad commodè feliciterque viuendum necessariarum inopia optimam reipub. quæ ἀντάρετα<sup>α</sup> id est, rerum illarum copiam requirit, institui non patitur. *Tertia* pars est, nosse répub. quamcumq. sibi oblatam corrigere ad salutem, & conseruare, quod genus Aristoteles reipub. ex hypothesis vocat. *Postrema* nosse quæ forma reipub. sit maximè communis, & plerisque hominibus accommodata. Ratio huius sententiæ hæc

Quid de  
beat sci  
re & do  
cere Po  
liticus.

1.

2.

3.

4.

B ab

ab illis affertur, quoniam omnes artes, quæ de genere aliquo tractant, omnes etiam eius generis species explicare debent, quod Inductionem nullarum artium probant, ex quibus est Medicina. nã Medicus cum circa valetudinem, quæ Genus, est occupatur, non vnam modo, sed omnes valetudinis species tractare, adeoque non modò, quæ optima sit valetudo aut corporis cõstitutio, sed etiam quæ minus firma, quæque deterrima, quæcumq; denique ipsi offeratur, eam nosse, & restituere ac conseruare debet. Atqui Politica est Ars, quæ de genere tractat, nimirum de Repub. Itaque omnes reipub. species explicare debet, non modò eam, quæ simpliciter sit optima (quæ nunquam fortasse nec fuit, nec erit) sed etiam quæ pro conditione rerum sit optima, & quæcumque tandem ipsi offeratur, scire debet, quomodo ea instituta fuerit, quibusque modis corrigi & conseruari possit. Itaque Platonem errasse, nec politici munere satis functum insimulant, qui tantum de optimo reipub. statu præceperit: nullum enim eius doctrinæ vsum esse, quod conditio rerum humanarum non ferat, vt optima reipub. vtantur: *Politi-*

cus

cus  
mi  
Ari  
cate  
libu  
opti  
ea, q  
ticu  
blie  
nian  
mal  
Poli  
litia  
ex si  
tibus  
confi  
nitat  
mult  
Et si  
ijs P  
opor  
defe  
debe  
opti  
tione  
possit  
confi  
mun  
opti  
mult  
possi

cus vero precipere debeat ea, quæ ho-  
minibus vtilitatem afferant. Verba  
Aristotelis in Platonem sunt: *Etiam si* Aristote-  
*cetera præclarè dicat, à rebus tamen vi-* les, & D.  
*libus aberrat. non enim videnda est* Tho. iu-  
*optima tantum reipub. forma, sed etiam* bêt Pol-  
*ea, quæ potest esse. Et infra: Oportet poli-* tici tra-  
*ticum etiam ijs, quæ in usu sunt, rebus pu-* dere me-  
*blicis mederi & opitulari posse. Sed quo-* dos con-  
*niam multi D. Thomæ verba audire* fernandi  
*malunt, eorum partem appingemus.* vitiosas  
*Politicus (inquit) debet considerare po-* respub.  
*litiam optimam simpliciter & optimã,*  
*ex suppositione, & quæ pluribus ciuita-*  
*tibus congruit. Sicut Medicus non solum*  
*considerat sanitatem simpliciter, sed sa-*  
*nitatem, quæ competit isti. In hoc autem*  
*multi loquentium de Politia defecerunt.*  
*Et si in aliquibus dicunt benè, tamen in*  
*ijs Politijs, quæ non quidem sunt optima,*  
*oportuna tamen aliquibus ciuitatibus,*  
*defecerunt. Quia Politicus non solum*  
*debet considerare Politiam simpliciter*  
*optimam, sed etiam optimam ex supposi-*  
*tionem, & eam quæ cuique congruit, & quæ*  
*possibilis est. Similiter debet Politicus*  
*considerare politiam faciliorem, & com-*  
*muniorem omnibus. Isti autem solum de*  
*optima politia determinauerunt, quæ*  
*multis indiget, ad quam pauci perire*  
*possunt. Et ideo solum de illa, quæ vix,*

aut nunquam esse potest, consideraerunt. Et ideo manifestum est, quod errauerant.

Iam quod vitiosas & imperfectas reipub. formas plus, quam rectas, ad Politici curam pertinere docuerint, hic Aristotelis locus 6. Polit. 6. argumento esse potest. Ea (inquit) Oligarchia, que Tyrannidi simillima, ut nequissima est, ita maiorem curam & cautionem desiderat. Quemadmodum enim corpora bene constituta, & ad bonam valetudinem probe conformata, similiter autem & nauigia ad navigationem oportuna, bonisque nautis instructa, plura incommoda sine lesione vel interitu sustinent: corpora vero morbosa, ac nauigia fatiscientia malisque instructa nautis, ne parua quidem incommoda ferre possunt, ita & pessima queque reipub. forma plurimam cautionem desiderat.

Porro D. Thomæ in huius Aristotelij loci explanatione verba sunt:

Sicut corpora animalium, que bene disposita sunt ad sanitatem, propter bonam ad inuicem primorum compositionem, vel proportionem: & naues, que bene compaginatae sunt in ordine ad navigationem, possunt sustinere plures errores, ut puta ictus, vel passiones ab extrinsecis, ita ut non facile corrumpantur propter

ij de vo-  
unt Poli  
icū ma-  
is de vi  
iosis, q̄  
rectis,  
esse soli-  
tium.

pte  
qua  
difi  
ben  
ben  
re  
ani  
cor  
ad  
vel  
reb  
sun  
sus  
aut  
tur

Ar  
de  
bil  
tur  
ma  
rut  
rei  
di  
&  
dis  
cip  
ab  
dis  
bea  
qu

pter illa. Illa autem corpora animalium,  
 qua malè disposita sunt propter malam  
 dispositionem humorum: & naues non  
 bene compaginatae, sed quasi resolutae, ha-  
 bentes prauos nautas, non possunt sustine-  
 re etiam modicos errores: imo corpora  
 animalium talium à modicis passionibus  
 corrumpuntur, naues verò huiusmodi  
 ad modicum impulsu ventis vel undae,  
 vel ad ictum rupis franguntur. Ita est de  
 rebus publicis. Illae, quae optimè ordinatae  
 sunt secundum rationem, multos impul-  
 sus & magnos sustinere possunt. Malè  
 autem ordinatae, à modicis corrumpun-  
 tur, & ideo maiori indigent cautela.

Quam denique exemplo etiam suo  
 Aristoteles & D. Thomas hanc suam  
 de Politicæ subiecto doctrinam sta-  
 biliuerint, nemini qui librum quin-  
 tum Politicorum, in eumq. D. Tho-  
 mæ commentarium legerit, obscu-  
 rum esse potest. Ibi enim de vitiosis  
 reipub. formis, earumque conseruan-  
 di modis, accuratissimè præcipitur,  
 & capite quidem vndecimo de mo-  
 dis conseruandi Regni, seu boni Prin-  
 cipatus, paucis verbis disputationem  
 absoluunt, sed in præscribendis mo-  
 dis, quibus Tyrannis conseruari de-  
 beat, longè sunt copiosissimi, ita vt si  
 quis versus numeret, quos in docen-

Ijdē ex  
 plū pra  
 iuerunt  
 Politic



da vtriusque formę conseruatione expleuerunt, duodecies tantum, & eo plus, Tyrannidi, quam Regno, ab eis impensum esse comperiat.

Iniqui Politico ū censo res volūt ab ijs tra ctari A- iena.

cisse videor, eos, qui tam iniqui sunt scriptorum Politicorum iudices, contra quam Ratio ac Methodi leges ferunt, in arte Politica ea, quę artis propria sunt, tradi nolle: reliquum est, vt eosdem *ἀλλότρια*, siue Aliena tractari velle, similiter demonstrarem.

Cum igitur supra, aliud genere, aliud loco Alienum esse, ostenderit, quorum illud semper methodo artis ac doctrinę, alterum etiam Prudentię methodo aduersatur, vtriusque generis Alienum ab istis requiri videmus. Primum enim hoc nomine Politicos scriptores grauitur accusant, quod non occupentur in describenda Tyrannidis fœditate seu turpitudine, vt ab ea vel occupanda, vel retinenda hominum animos deterreant. Hoc autem à Schola politica alienissimum esse, & ad Ethicam vel Moralem pertinere, etsi nemini verè Philosopho potest esse dubium, tamen propter alios, quibus disciplinarum fines non eque noti sunt, distinctius probare volo.

Vitupere Tyannidē pertinet ad Scholam Ethicam.

Ethi-

Ethica seu moralis philosophia ,  
 quæ ars bene viuendi definitur , par-  
 tim Regularis est , partim Exempla-  
 ris , & illa quidem vel Dogmatica ,  
 vel Parænetica seu Pædagogica : hæc  
 autem vel Characteristica , vel Histo-  
 rica , vel Fabularis . Non minus enim  
 quam cæteræ artes , Moralis partim  
 regulis , partim exemplis docetur .  
 Regulæ vero sunt vel generales , vel  
 speciales . Illæ dogmata seu decreta ,  
 hæc præcepta vocantur vel Paræne-  
 ses aut cohortationes . *Decreta* sunt  
 generales sententiæ , quæ non ad cer-  
 tam aliquam , sed ad omnem vitæ  
 partem diriguntur , & vniuersè homi-  
 nis animum informant , ac partim in-  
 tradendo finem hominis , seu summo  
 bono , partim in ijs , quorum adiu-  
 mento finem consequimur , in eorum  
 que contrarijs occupantur : cuius ge-  
 neris sunt quæ docent , quid sit felici-  
 tas hominis , quid miseria , quid bo-  
 num , quid malum , quid virtus , quid  
 vitium , quot sint virtutes , separatæ ne  
 sint , an connexæ , vt qui vnam ha-  
 beat , & cæteras habeat . Atque hoc  
 ferè librorum Moralium Aristotelis  
 argumentum est . *Præcepta* , singulis  
 vitæ partibus inseruiunt , & cū Actio-  
 nes hominis , quæ *Officia* vocantur ,

Ethic  
 defini-  
 tio acc  
 uisio.

Decreta

Præcep-  
 ta.



secundum temporum ac locorum varietatem ordinant ac disponunt, tū Passiones, siue affectus, aut Perturbationes moderari, & vel excludere vel corrigere docent. Ex hac nota sunt, quid facere debeat, qui vitam beatā traducere, qui metu vacare, qui cupiditate, spe, amore, inuidia omninoque ijs, quę mala sunt, animum liberare velit: quid pater filio, filius patri, vir vxori, vxor viro, seruus domino, dominus seruo, amicus amico, ciuis ciui præstare debeat. Atque hæc Philosophiæ Moralis pars à Cicero-  
ne in libris de Officijs & Tusculanarum disputationum vberri-  
mè pertractatur, quorum illi regulas Actionū tradunt, hi verò passionum siue Affectuum regimen, id est, quomodo vitiosos animi affectus medicari vel moderari oporteat: quod quidem *Internum officium* distinctionis gratia vocare possumus, sicut *Externum* illud, quod Deum & homines spectat. Libri vero de Finibus bonorum & malorum sunt Dogmatici, & in tradendis Decretis occupantur. Plutarchi etiam Moralia opuscula maximā partem præceptis vitam hominis ordinant, quemadmodum, & Theognidis, Phocylidis, quæque Pythagoræ

rae vocantur aurea carmina, & Disticha Catonis. nomen praeferebat. Seneca Philosophus etiam ipse Praeceptivam Moralis partem potissimum coluit, planeque in ea regnat, cui proximus est Epictetus Stoicus. Cum autem officium sit vel perfectum quod κατόρθωμα vocant, vel Medium, quod κατήκον perhibetur, quorum illud est actio vel constituens Heroicam virtutem, vel ab ea proficiscens, hoc autem in communi ac velut ordinaria hominum virtute spectatur: apud Gentiles à Christiana doctrina remotos (Epicteto & Seneca exceptis) vix ullam perfecti officij regulam inuenieris. Itaque si quis virtutis perfectionem admet, sacrarum litterarum ac librorum vere κατορθωματικῶν lectioni dedere se necesse habet, qui à Theologis practicis, quorum alij *Cassista*, alij *Spirituales* vulgò dicuntur, magno numero sunt editi.

Exemplaris seu Paradigmatica philosophiae moralis pars faciendorum fugiendorumque exempla sup- Ethica  
 peditat. nec enim tantum quomodo pars Ex  
 plaris  
 quidque faciendum, sed etiam quomodo non faciendum fit, exemplo rectissime docemur. *Tam haec cogitanda sunt exempla, que vites, quam illa &*

B S con.

a-  
 tū  
 a-  
 vel  
 r,  
 tā  
 di-  
 o-  
 oe-  
 ba-  
 ni-  
 co,  
 ac  
 ro-  
 na-  
 tra  
 nū  
 ffe-  
 vi-  
 vel  
 em  
 tia  
 il-  
 tat.  
 &  
 tra-  
 ar-  
 mā  
 or-  
 eo-  
 go-  
 x

*contrario, qua sequaris, ait Seneca. Sic Ismeniam clari nominis tibicinem Plutarchus auctor est, cum discipulis suis non eos modo, qui bene, sed etiã qui secus tibijs canerent, ostendisset, monere eos solitum: Ita canendum est, & Ita canendum non est. Et Horatius 1. Satyr. 4. se à patre suo proponendis vitium ac vitiorum exemplis, quid in vita agenda fugere, quidque facere deberet, edoctum fuisse, pereleganter narrat: quem quidem locũ hũc verbis concludit:*

*— avidos vicinum funus ut agros  
Exanimat, mortisq; metu sibi parcere  
cogit:*

*Sic teneros animos aliena opprobria  
sape*

*Absterrent vitijs. — — — —*

Cũ autẽ exẽpla, vel vera sint vel ficta, & Vera vel in genere oĩum, vel ì specie huius aut illius, siue singulorũ: eo fit, vt pars ista philosophiã, q̃ exẽplis docet, sit partim Characteristica, partim Historica, partim Fabularis. Characteristica est, q̃ in genere homines virtutibus ac vitijs præditos dictis ac factis suis quotidianis velut signis ac notis quibusdam describit, quæ res (ait Seneca) eandem vim habet, quam præcipere. Nam qui præcipit, dicitur

Illa

Chara-  
teristi-  
ca.

Illa  
qui  
fa  
qui  
vis  
bit  
qui  
ria  
Por  
Ch  
ful  
stor  
reli  
con  
enw  
wng  
tte  
tio  
ret  
fac  
ph  
lis  
con  
me  
in  
ali  
ran  
euc  
sat  
gie  
qu

Illa facies, si voles Temperans esse: qui describit ait: Temperans est qui facit illa, qui illis abstinet. Similiter qui præcipit, Illa ne feceris, ait, si non vis esse Intemperans. Sed qui describit: Intemperans est, qui facit illa, qui non abstinet ab illis. Sic Zacharia cap. 11. qualem deceat esse bonum Pontificem siue Ecclesiæ Pastorem, Characterem seu notationem Pastoris stulti docemur: *Pastor stultus, siue pastor, & idolum derelinquit gregem, derelicta non visitat, dispersum non querit, contritum non sanat, id quod stat non enurit, sed carnes pinguium comedit, & ungulas eorum dissolvit.* Ista Characteristica seu descriptiva docendi ratio eandem habet vim, ac si præciperetur, quid fugere Pontifex, quidque facere debeat. Hanc porro philosophiæ partem Theophrastus Aristotelis auditor & successor peculiari libro complexus fuerat, cuius hodie fragmenta extant, quæ *Characteres morum* inscribuntur. *Historica* est, quæ vera aliorum exempla sic narrat, vt eorum, quæ recte, ac secus facta sunt, euentis, gloria pura & infamia, utilitate ac damno, quid faciendum fugiendumque sit, addisci queat. Nam qui, verbi gratia; ebrietatem Alexan-

Histor  
ca.

dri, gloriam eius obscurasse, ac multorum ei malorum causam fuisse narrat, is Principibus, vt ebrietatem fugiant, præcipere censendus est. Ita qui Scipioni Africano continentiam, qua in capta virgine illustri sponso suo reddenda vsus est, cum gloriosam fuisse, tum animos hostium conciliasse, & Hispaniam ad eius imperium adiunxisse narrat, eadem opera ijs, qui cum imperio sunt, præcipit, vt ipsi se in voluptatibus contineant, animoque imperare velint. Atque hæc causa est, cur Historiam Tullius non modo *restem temporum*, sed etiam *vite magistræ* vocarit. Nimirum non modò quid quoque tempore contigerit narrare, sed etiam rectè factis laudem impertiri, sceleribus maculam adspergere, sic denique instituere narrationem debet, vt ex ea vitam suam Lectores rectè moderari discant. *Fabularis* est, quæ fictis exemplis hominum actiones dirigit, siue illa sint hominum, vt in narrationibus Mileijs, quarum soluta est oratio, vt Apuleij, Heliodori, Bocaccij, tum in pœsi Epica & scenica, siue belluarum aliarum que rerum, quibus ratio, sensus, & oratio affingitur, vt in Aesopi mythologia. Epica quanta vis sit ad docendam

Fabularis.

is.

dam moralem philosophiam, nō vno loco Aristoteles, Strabo, Plutarchus, ex professo autem Horatius 1. Epist. 2. vtriusque Homericæ poematis exemplo declarant nam ex Iliade præcipuè militares, ex Odyssea verò pacis artes haurire licet. Scenica, præcipuèque Comica, nihil aliud, quam vitæ imaginem velut in speculo exhibet, in quod inspicientes discere queant, sibi quid ex usu sit: sicut ex diuerso Tragedia Regum Principumque actiones & affectus ordinat, adeoque ineptè & intempestiuè populo spectante agitur. Mythologia denique siue Apologi & Fabulæ Æsopicae quid facere priuatim ac publicè, quidque caute conueniat, ad popularem captum, accommodatissimè, minimaque, cuiusquam offensa & inuidia præmōstrant.

Ex his facillè est intellectu, quā sit Ethicæ proprium, & à Politica alienum, quod Censores isti à Politicis Imper tractari postulant. Nam deterrere ti Polit hominum animos ab affectanda vel corū ce tuenda Tyrannide, ad partem Ethicæ Paræneticam seu Præceptiuā perti thica p stulant net, Tyrannidis verò turpitudinem Politici- describere, ad partem Dogmaticam, cis tra cuius est de Honesto & Turpi disputari. tare,

tare, quæ sunt Forma, ac velut anima  
 Virtutis & vitij. Cum enim, verbi  
 gratia, vterque in alienanda re fami-  
 liariter versetur Liberalis & Prodigus,  
 sicut vicissim in eadem non alienan-  
 da, sed querenda aut retinenda, Fru-  
 galis & Auarus: honestas & turpitu-  
 do facit, vt Liberalitas sit virtus, Pro-  
 digentia siue Effusio vitium, virtus est  
 sit Frugalitas seu parcimonia, vitium  
 vero Auaritia. Nam Liberalis alie-  
 nat, quoniam honestum est alienare,  
 turpe verò retinere. Prodigus con-  
 tra alienat, vbi turpe est alienare, ho-  
 nestum verò retinere. Ita Frugalis  
 retinet, quia turpe est dare, honestum  
 verò retinere: Auarus contra, seu for-  
 didus, retinet etiam vbi dare hone-  
 stum est, turpe verò retinere.

*officia* Neque verò quicquam momenti  
*tis non* habet, quod contradici ab istis po-  
*l de Ty* test, de Tyrannide tractare Politici  
*nnidis* officium esse, adeoque ab eo de Tyran-  
*rpru-* nidis turpitudine, velut Adiuncto,  
*ne age* agi debere. Vt enim à Methodi magi-  
 stris docemur, omnis questio aut di-  
 sputatio eius artis propria est, cuius  
 fuerit Prædicatum siue Attributum,  
 vt hæc Questio, siue *Auaritia Libe-*  
*ralitati contraria*, non est Ethicæ, sed  
 Dialecticæ. nam quid sit *Contrarium*,

ex

ex Dialectica discitur, quamuis subie-  
cta sint Ethica. Docet autem Diale-  
ctica, esse contraria illa, quæ sub eodẽ  
genere posita plurimum dissident.  
Iam vero Auaritiam Ethicus sub alio  
genere ponit, sub alio Liberalitatẽ.  
nam Liberalitas est sub habitu alie-  
nandi seu largiendi, Auaritia sub ha-  
bitu non alienandi, sed acquirendi  
aut conseruandi. Liberalitati ergo  
cõtrario nomine opponitur Effusio,  
Auaritiæ parcimonia. Cum enim  
Liberalitas & Effusio sint sub eodem  
genere, sub habitu nempe largiendi, ergò  
plurimum inter se dissident, quoniã  
illa honesta est, hæc vero turpis. Simi-  
liter Auaritia & parcimonia sub eo-  
dẽ habitu nõ largiendi, sed retinendi,  
plurimũ inter se dissidẽt. nam Parcus  
non dat, sed retinet, quia turpe est da-  
re, honestum vero retinere: Auarus  
autem ritinet, etiam vbi turpe est re-  
tinere, honestum verò largiri.

Similiter quæstio hæc, *sic ne virtus  
mediocritas*, siue in medio duorum vi-  
tiorum posita, rectius in Logica aut  
Metaphysica, quam in Ethica, tracta-  
tur. Primum enim ex Metaphysicis  
discimus, vnum vni tantum esse con-  
trarium Aristotelis 10. Metaphys. 4.  
verba sunt: *Planum est fieri non posse,*

vt

Auaritia  
& Libe-  
ralitas  
non sunt  
sub eodem  
genere

Mõ sunt  
Cõ-  
traria.

nū vni  
 ntū est  
 contrariū.

*ut vniplura sint contraria. Etc. proximo: Vnum vni contrarium est. Philoponus similiter 3. Physic. 3. Absurdum est, inquit, ut duo vni eidem sint contraria. Sed & prius Plato Alciadiad. 2. Duo vni rei contraria nullo modo esse possunt. Et in Protagora. Vni-  
 onique contrarium vnum solum est contrarium, non multa. Fortassis autem superuacuum & περιεργον fuerit sententiam hanc auctoritatibus stabilire, cum perspicue Spiritus Sanctus affirmet Ecclesiast. 33. Contra malum bonum est, & contra mortem vita: sic & contra virum iustum peccator. Et sic intruere in omnia opera Altissimi. Duo contra duo, & vnum contra vnum. Igitur Metaphysicæ doctrinæ consentaneum est, virtutem inter duo vitia nequaquam esse positam. Aliter duo ei vitia essent contraria, cum semper virtus & vitium sint contraria.*

giū vir-  
 is non  
 ot esse  
 edia  
 torū vi-  
 orum.

Deinde ex Dialectica discimus, contraria, ut & reliqua Opposita, dici secundum idem, ad idem, & eodem tempore ac loco, cui consequens est, vitia illa, quæ vulgò defectus perhibentur Virtutum, nequaquam esse Virtutibus contraria, cum secundum idem minimè dici satis constet. Exempli causa Avaritia nō est defectus, ne-  
 que:

que oppositum Liberalitatis, quoniã  
 reuera non circa idem internum seu  
 formale, vt sic dicam, obiectum ver-  
 fantur. nam formale & internum  
 Liberalitatis obiectum est alienare  
 rem familiarem, Auaritiã verò, non  
 alienare, sed retinere. *Formale* voco,  
 vt habitus istos circa rem familiarem  
 materialiter tantum occupari signi-  
 ficem, & formam vel formalitatem  
 habitus ab obiecti formalitate secer-  
 no. Ex euentu tamen, seu per accidens.  
 Liberalitas & Auaritia contraria di-  
 ci possunt, quoniam ipsa eorum obie-  
 cta, alienare & non alienare, inter  
 se pugnant. Sed eodem modo per  
 Accidens vitium in medio duarum  
 virtutum spectatur, velut alterius ni-  
 mium siue excessus, alterius parum  
 seu defectus. Nam Auaritia inter Li-  
 beralitatem & Parcimoniam media  
 est, & à modo quidẽ Liberalitatis defi-  
 cit, Parcimoniã verò modũ superat.  
 Sic Effusio in earumde Virtutum me-  
 dio collocatur, velut Liberalitatis ex-  
 cessus, & defectus Parcimoniã. Sed  
 de his alias: nunc ad propositum ex  
 diuerticulo reuerti res monet. Cũ Ho-  
 nestũ & Turpe ad Ethicã pertineãt,  
 fateri oportet de Tyranni dis turpitu-  
 dine non in Politica, sed in Ethica

Vitiũ e  
 i medi  
 duarum  
 virtutu

tra-

tractari oportere, vt pareatur legibus, quas Methodus artis ac doctrinae praescribit.

Prudentia Methodus dicitur Tyrannicis turpitudine Politicum gerere iudicium.

Reliquum est, vt de Prudentiae Methodo videamus, cui non tam veritas, quam certa quaedam hominum utilitas, est proposita. Hanc vltro factor non modo permittere, sed etiam exigere, vt in Politica tradenda etiam deformitas seu turpitudine Tyrannicis describatur, ad eamque auersandam verba conferantur. Cum enim rerum hominumque vsus comboret, eam in animis plerorumque prauitatem esse, vt eum quid ad illud consequendum, quod alioquin eis allubescit, vtile esse audiunt, clausis oculis, omnique impetu illuc ferantur: prudentis Politici est providere, ne quid ex doctrina sua, quamuis vera, homines tam corrupti & ad nequitiam proni, detrimenti capiant. nam sine controuersia omnis Politici disputatio non alio consilio veritatem exponit, quam vt multum inde utilitatis ad alios redeat. Vt enim praedixi, Politicae artis finis est publica felicitas. A publica vero felicitate alienissimum videtur ea praecipere, quae neque eorum, qui imperant, gloriae, neque subiectorum utilitatibus

bus conducant: quod ij facere existi-  
 mantur, qui Tyrannidis condendæ  
 & conseruandæ vias ac modos subtri-  
 liter exsequuntur. nam neq; felix es-  
 se potest, qui Tyrannidē tenet (quip-  
 pe qui vi aut dolo vtatur, & in perpe-  
 tuo metu viuere necesse habeat) ne-  
 que qui sub Tyrannide viuunt, cum  
 vix vnquam eis desit, quod dole-  
 ant aut formident. Si taen verum  
 quærimus ac subtilius rem totam li-  
 mamus, longè ratio eos fugit, qui di-  
 sputationem de Tyrannidis conser-  
 uandę modis neque ad Tyranni, ne-  
 que ad subiectorum vtilitatem quic-  
 quam momenti facere persuasum ha-  
 bent. Cum enim duos Politici mo-  
 dos tradant, quibus imperium con-  
 seruare Tyrannus possit, quorum  
 priorem D. Thomas *Intensionem* vo-  
 cat, cum videlicet Tyrannis inten-  
 ditur & augetur, ita vt nihil sauitiæ  
 & asperitatis in ea fiat reliquum, al-  
 terum *Remissionem*, cum remittitur,  
 & humanitate clementiaque miti-  
 gatur: neutrius modi tractatio sin-  
 gulari fructu publico caret. nā prio-  
 ris modi tractatio Tyrannidem im-  
 pedit, alterius verò emendat & to-  
 lerabiliorem reddit. Nec enim est  
 dubium, impediendæ Tyrannidis datur.

Tyrann  
 dis cōfer  
 uandę mo  
 dos tra  
 dere ex  
 pedis.

Nam ue  
 impedit  
 Tyrānis  
 vel emē

vim

vim habere, quicquid nō modo nihil  
 Tyranno suppeditat, quod ei ad voto  
 rū summam sit vsui, sed alijs etiā simul  
 cū Tyrannidis odio notitiam artium  
 Tyrannicarum instillat, vt in serui-  
 tutē à Tyranno redigi nec velint, nec  
 facile possint. Talia porrò sunt, quæ  
 Politici de augenda siue intendenda  
 Tyrannide præcipiunt: nam partim  
 vim siue crudelitatem, partim Frau-  
 dem & perfidiam præmonstrant nul-  
 lo cuiusquam Tyranni vsu. nam qui  
 Tyrannidem concupiscit, ei sua spon-  
 te nemine monente eadem in mentē  
 veniunt. cuius rei argumēto est, quod  
 plerique Tyrannorum fuere à litte-  
 ris remotissimi, neque eos Politicorū  
 lectio, sed improba regnandi libido  
 modos edocuit, quibus Tyrannidem  
 siue consequerentur, siue retinerent.  
 Atque haud scio an vel indoctissimus  
 maximeque barbarus Tyrannus ipsi  
 etiam Aristoteli, Politicorū sine con-  
 trouersia Principi, eam in rem præce-  
 pta dictare possit. Hoc quidem planū  
 est, Philosophos Politicos obseruatis,  
 quas vel viderant ipsi, vel legendo au-  
 diendoue cognouerant, Tyrannorū  
 actionibus, suas de Tyrannidis tuen-  
 dæ modis regulas confecisse.

Iam eū, qui Remittendæ siue Emē-  
 dan-

dandæ Tyrannidis uiam præmōstrat, Remit  
 perspicuum est benè quidē in rē Tyrā fio verō  
 ni consulere, sed multo magis subie- ad emen  
 ctorū utilitatem procurare. Si enim dandum  
 Tyrannus non palā sit improbus, sed  
 studio habeat dissimulare sua uitia,  
 uirtutes autem simulare, & ad boni  
 Principis similitudinem quam proxi-  
 mē accedere, minus eū contemni, mi-  
 nusque odio haberi continget. quāto  
 autem minus cōtemnitur minusque  
 exosus est Princeps, tanto stabilius ac  
 securius est eius imperium, cum odiū  
 & contemptus principes imperio-  
 rum euertendi causæ sint Subditorū  
 porrò longè tolerabilior est conditio,  
 si pareant principi, qui caueat uideri  
 improbus, studeat autē uideri bonus,  
 quā si sub eius ditioe sint, qui se sce- Pruden  
 leratū existimari nihili faciat. Sic ap- ter fac  
 paret, ne Prudētia quidem Methodo unt Po  
 alienam in Politicis iudicari posse tici, qu  
 præceptionem de modis, quibus Ty- Tyrann  
 rannis, similiter autem & reliquæ ui- dis con  
 tiōse rerum publicarum formę cōser- seruand  
 uari possint, cum tantum inde utili- modos  
 tatis humano generi ostendatur. tradunt  
 Nihilominus reprehensionī locū ueant, t  
 esse fateor, si non cauit Politicus, ne oratio  
 oratio sua esset Lubrica, hoc est, eius sua sit  
 notę ut ex ea facilis in errorem, Lubric

aut

aut falsam opinionem lapsus sit, ac iudicium de faciendis fugiendisque deprauetur. Nam à Deo maledictus est, *qui ponit offendiculum cæco*: multo igitur magis, qui præceptis suis efficit, vt homines imperiti in errorem incidant, seque rectè facere ac laudè mereri censeant, si modis illis vtantur, quibus Tyrannidem cæterasque vitiosas imperiorum formas stabiliri audiūt. Verum distinguere oportet lubrica vitio scriptoris, ab ijs, quæ culpa lectoris sunt lubrica. Vsu enim venire potest, vt quæ Politicus dextera præbet, sinistra lector accipiat, & ex benè dictis corruptelam hauriat, quoniam videlicet aut oscitat aliasque res agit, nec condignam tantis rebus diligentiam adhibet, aut ad Politicam acroasia malitiam, in primisque regnandi libidinem domo secum attulit, statimque ea arripit, quæ cupiditati suæ habenas laxare existimat. Sed propter huius generis lubrica nullo iure Politicus reprehenditur, cum neque Spiritus Sancti doctrina, sacrarum volumine literarū comprehensa, non possit ab ijs, qui iā animo corrupti sunt, ad comprobandas impias sententias torqueri. Testatur hoc S. Petrus in verbis istis:

Fra-

Alia scri  
ptoris, a-  
lia lecto  
ris vitio  
sunt lu-  
brica.

Fra-  
sib-  
bus,  
indo-  
cere  
diui-  
pien-  
pria  
rept-  
fact-  
inse-  
infi-  
dis  
erro-  
ei r-  
tis  
bus  
int-  
rur-  
mi-  
mo-  
Ti-  
col-  
&  
su-  
nen-  
res  
li-  
Etr-  
do-

Frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit epistolas, in quibus sunt quadam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur custodite, ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate. Si quis iam S. Paulum reprehenderet, quod cum esset debitor factus non solum sapientibus, sed etiam insipientibus, non ita scripserit, ut ne insipientes in verbis eius intelligendis errare, & alios minus cautos in erroris societatem abducere possent: ei rectè responderetur, S. Paulum satis cauuisse corruptelam, & insipientibus consuluisse, cum digitum illic eis intendit, unde veram verborum suorum sententiam discere queant, nimirum ad Ecclesiam, eiusque legitimos pastores & doctores. Nam 1. Tim. 4. Ecclesiam vocat domum Dei, columnam & firmamentum veritatis, & Ephes. 4. docet, Christum ab adscensu suo in calum usque ad consummationem dare Ecclesie sue pastores & doctores in opus ministerij, ut ne simus paruuli, qui circumferamur omni vento doctrina.

Si quis ergo iam suo more & modo Pauli verba intelligere, neque veram

Etiam S. Pauli verba sunt librica vi. lectum.

Sed ipse satis corruptelam cauit.

ram eorum sententiam ab Ecclesie  
pastoribus & doctoribus discere ue-  
lit, labetur ille quidem in errorem,  
sed sua, non Pauli culpa. non enim  
Paulus offendiculum cæco posuit, cum  
obscurius scripsit, sed superbi isti de  
industria oculos suos clausurunt, ne  
uideant. suo pte igitur uitio labuntur:  
neque lubrica sunt Pauli uerba, sed  
ipsi superbi. Similiter nec Politicum  
officio defuisse existimandum est, si  
homines suo pte ingenio improbi ex  
doctrina, Rationis arti, præcipueque  
Methodi legibus consentanea, corru-

Quomo  
lo Poli-  
icus ca-  
near, ne  
ectores  
deprauē  
ur.  
Primū,  
modo lo-  
quēdi hy-  
potheti-  
co.

ptelam hauriunt, modò ipse quod in  
se est fecerit, ac nequis, nisi uolens &  
sciens, doctrina sua depruari possit,  
sedulo cauerit. Cautionis autem duo  
summa sunt genera. Vnum est Lo-  
quendi modus nō absolutus, simplex,  
aut Categoricalis, sed Hypotheticus,  
siue cum exceptione aut conditione.  
Verbi gratia:

*Tyrannus, si quouis modo imperium  
retinere uelit, debet interficere sapien-  
tes, & magno animo præditos.*

*Tyrannus statum suum conseruat si-  
mulanda autem impietate, cæterisque ui-  
tijs.*

*Bonum est ad conseruandam Tyran-  
nidem alere factiones & dissidia inter  
eines.*

Male

*Male siue imprudēter facit Tyrānus, qui nō interficit homines nobiles & locupletes, quibus iniūsum est eius imperiū.*

Ista præcepta omnia sunt Hypo-  
thetica, & conditionem hanc siue  
apertam, siue occultam habent: *Si ve-  
lit retinere, seu conseruare Tyrannidem.*  
Si quis iam eas pro Categoricalis ha-  
beat, & recte se facere statuatur occide-  
dis sapientibus, magnanimis, locu-  
pletibus & nobilibus, simulanda reli-  
gione alijsque virtutibus, a lendis de-  
nique factionibus, nempe culpa va-  
cat Politicus, qui modo loquendi hy-  
pothetico satis cauit, ne quis nisi sciēs  
prudens ex verbis eius in errorem  
præcipitare possit.

Alterum cautionis genus est suæ Deinde  
sententiæ explanatio, si nimirum ea, interpre-  
præstitit Politicus, ex quibus, quid re tatione  
uera de bene secusue factis iudicari, propria.  
homini non oscitanter legenti obscu-  
rum esse nequeat. Talis autem ex-  
planatio est vel directa & apertior,  
vel obliqua & occultior. Directa fit Directa  
aut *Hoc agendo*, siue ex professo, vide interpre-  
licet Adiunctis Tyrannidis declarā- tatio.  
dis, id est, fatendo eam esse turpem,  
iniustam, & velis remisque fugien-  
dam: aut *aliud agendo*, id est, expli-  
candis causis & effectis Tyrannidis,

C ex

ex quibus eam Turpem & fugiendā esse quiuis statim agnoscat. *Causæ* porro Tyrannidis sunt vis & Fraus, bel-  
lua, non homine digna. nam vis Leo-  
nis est, Fraus vulpeculæ, sicut Ius ho-  
minis. Effecta verò sunt infamia per-  
petua, odium popolare, eiusq. comes  
metus assiduus & sollicitudo. Si ergo  
dicat Politicus, Tyrannum esse semi  
hominem & semibelluam, ex Leone  
puta & Vulpe compositum, & viuere  
in perpetuo metu, ac post obitū æter-  
nam ei paratam esse infamiam, cen-  
sendus est clarè satis fateri, Turpem  
esse Tyrannidem meritoque fugien-  
dam.

Obliqua  
interpre-  
tatio.

Intentio  
genera-  
lis.

Oblique sententiam suam expla-  
nat Politicus, si promptum habeat  
suum consilium, siue propositum aut  
intentionem, ita vt conijcere facile  
sit, quod eius fuerit in præcipiendo  
consilium, siue, quideum, vt ista doce-  
ret, impulerit. Huiusmodi verò inten-  
tio aut Generalis est, aut Specialis.  
*Generalis* est operis totius scopus, siue  
id, quod opere toto scriptor specta-  
uit. Hoc si honestum esse, & ad utili-  
tatem humani generis dirigi appa-  
ret, non est vlllo modo credibile, scri-  
ptorem ea tradere voluisse, quæ iudi-  
cium principis de rectè ac malè fa-  
ctis

ctis deprauare queant, quod nihil ea  
 re sit turpius ac magis vtilitati publi  
 cæ repugnet. Sic apparet Generalem Specia-  
 operis intentionem esse velut nor- lis inten-  
 mam, aut regulam, ad quam specia- tio inter  
 lis intentio debeat examinari, ita vt pretāda  
 qui explorato scire velit, quæ scripto- ex gene-  
 ris in hoc aut illo loco fuerit senten- rali.  
 tia, ad totius operis propositum respi-  
 cere debeat. Illi enim consentire  
 debet, quicquid quacunque operis  
 eiusdem parte scriptum est. Atque  
 hoc examen tum vel maximè requi-  
 rit diligentiam, si scriptor sibi metū  
 aliquem obstare præ se tulit, quomi-  
 nus promptum haberet, quod sentie-  
 bat. Verbi gratia. Conatus Scrip-  
 toris est, certum aliquem Tyrannū  
 patriæ infestum describere, eoque  
 pacto partim populare odium in eū  
 commouere, partim artes eius dete-  
 gere, quod est Tyrannidem eius im-  
 pedire. Hoc autem periculo nequa-  
 quam vacare intelligit. Ad hunc igitur  
 modum de Tyrannide disputat,  
 vt existimari possit Tyranni vtilitati  
 bus seruire velle, cum ei tuendi im-  
 perij rationes præmonstrat. Alicu-  
 bi tamen sibi, quominus sententiam  
 suam dicat apertius, periculi metum  
 obstare significat. Hic oportet nos

ad id respicere, quod opere toto fuit ei propositum, & specialis huius intentionis rectitudinem ex generali conijcere. nam nisi hoc faciamus, nullo modo ne illi quidem à iustissima reprehensione abfuerint, quos Politicā rectissimè ac sine omni vitio docuisse, non temere quisquam negauerit. Non longè abiero.

Aristoteles, & D. Thomas in eiusdem capituli explanatione, extrema lectione septima, ubi Oligarchiæ conseruandæ modos præcipiunt (id est, eius status, ubi pauci nobilitate & opibus excellentes ex sua libidine suæque vtilitatis causa dominantur) Sophismate Politico Oligarchas vti, ac status conseruandi causa beneuolentiam erga plebeios simulare, eique simulationi iureiurando solenni fidem facere dovent. Aristotelis verba sunt:

Aristoteles 5. Polit. 9. & D. Thomas in eiusdem capituli explanatione, extrema lectione septima, ubi Oligarchiæ conseruandæ modos præcipiunt (id est, eius status, ubi pauci nobilitate & opibus excellentes ex sua libidine suæque vtilitatis causa dominantur) Sophismate Politico Oligarchas vti, ac status conseruandi causa beneuolentiam erga plebeios simulare, eique simulationi iureiurando solenni fidem facere dovent. Aristotelis verba sunt:

*Oportet Oligarchas videri semper plebis causam defendere, & aliter iurare, quam nunc solent. Nunc enim in quibusdam Oligarchis, cum ad imperium admittuntur, ita iuranti: Ero plebi inimicus, & quicquid mali potero, faciam. At qui oportet eos pro se ferre ac simulare contrarium ita conceptis uerbis iurantes: Plebē non afficiā iniuria.*

D.

D. Thomæ quæ sequuntur:

*Si debeat saluari paucorum potentia, oportet eam videri facere pro populo, & facere OPORTET iuramenta contraria ijs, quæ faciunt. Consueverunt enim Oligarchæ, cum in principatu instituuntur, iurando dicere: Iuro, quod populum odio habebō, & consilio annitar, vt male habeat. Hoc autem non est faciendum, sed oportet opinari contrarium esse faciendum, & insinuare in iuramento oportet, quod Oligarchæ non facient iniuriam populo.*

Si quis nunc Aristoteli ac D. Thomæ inuidiam hinc facere conetur, quod status causa simulationem ac periurium doceant, nempe ijs, quas modo exposui, rationibus omni eos culpavacare demonstrabitur. Primum nihil contra docuerunt, quam artis ac doctrinæ Methodus postulet. nam nec falsum, nec genere aut loco alienum est, quod hic præcipiunt. Deinde etiam Prudentiæ Methodo paruerunt, cum satis cauerunt, ne quis nisi aut valdè oscitans, aut ab ingenio improbus, hac eorum doctrina depravari possit.

Primum enim modus loquendi non absolutus est aut Categoricalis, sed cum conditione, apud D.

Nec propterea possunt reprehendi.

Loquuntur enim hypotheticè.

C 3 Tho.

Thomam apertissimam, apud Aristotelem satis significata: *Si debeat saluari Oligarchia, oportet benevolentiam erga plebem simulare ac peierare*. Siue, quod eandem vim habet: *Simulatio benevolentia erga plebem iureiurando confirmata est causa conseruans status paucorum*. Atque hoc loco oportune Lectorem velim monitum, vt quando-cumque effecti alicuius causa traditur, conditionem inesse meminerit. Si enim dicam, *Ortus solis, diei causa est, peccatum mortis*, non aliud au-

Causam effecti alicuius tradere est hypotheticè loqui. Aristoteles, & D. Thomas ipsi suam sententiam de Oligarchæ simulatione ac periurio satis explanarunt, ita vt si quis non oscitanter eos legat, nec sua sponte corruptus sit, nullum ei ex hoc precepto corruptelæ impendat periculum. Nam inter vitiosas Reipubl. formas & iniustas Oligarchiâ numerant & Tyrannidi proximam faciunt, quo ipso turpem ac fugiendâ esse docent.

Si quis contradicat, hoc saltem lo-

co

co nihil de Oligarchiæ iniustitia ac turpitudine ab eis afferri, adeoque lubricam eorum esse doctrinam: ei respondebitur, non modo Artis, sed neque Prudentiæ Methodum ea, quæ loco Aliena sunt, tolerare. nam quiduis quocunque loco dicere confusio- nem parit, idem verò sæpius iterare, tadium. Politicus, etiam cum hominum minus acriter intelligentium vtilitati præcipuè consulit, alio loco de Adiunctis, alio rursus de causis conseruantibus Oligarchiæ & Tyrānidis loquitur, eaque in re Methodi leges custodit, ne quod prius dicendum erat, dicat posterius, aut vice versa: neu sæpius eadem dicendo lectoribus sit fastidio. Cum igitur alio loco Aristoteles & D. Thomas adiuncta Oligarchiæ pspicue tradiderint, hoc loco, quo causas, siue modos eiusdem conseruandæ exsequuntur, eadem iterare minimè debuerunt. Ex quo perspicuum fit, quod supra demonstraturum me receperam, imperitos illos & iniquos Politicorū Aristarchos cōtra Logicæ artis leges nō modo, quæ Genere, sed etiam quæ loco aliena sunt, à Politicis tractari vel le. Quod si quis hoc amplius generalem & specialem Aristotelis, & D.

Etiam alio locoid ficiant.

Nam Methodus suo quicque locodocere iubet.

Ari-  
e sal  
iam  
iue,  
laris  
do cō  
pan-  
Le-  
do-  
adi-  
erit.  
can-  
d au-  
ortus  
ris.  
iue  
tus,  
the-  
rea  
sen-  
ione  
ra vt  
nec  
ei ex  
deat  
Rei-  
chiā  
am  
endā  
n lo-  
o



Thomæ intentionem inspiciat, id est, si consideret, quid eis cum in toto opere Politico, tum vero in hac ipsa eius parte, qua simulationem & periurium præscribunt, fuerit propositum, nihil eos, quod ipsorum potius, quam lectorum, vitio lubricum, aut deprauando de faciendis

**Genera-** fugiendisque iudicio idoneum existi  
**lis eorū** mari debeat, præcepisse deprehen-  
**intentio.** dit. Nam quod ad operis totius propositum attinet, eos Methodi lege de omnibus reipub. formis, earumque conseruandi rationibus præcipere

**Specia-** debuisse comperit, etiam de vitiosis  
**lis inten-** ac deprauatis, quas non nisi vitiosis  
**tio.** modis conseruari posse, sponte sua quibus quis sanus intelligit. Sin autem consilium eorum expendat, quod in hac operis parte secuti sunt, eis utilia ad conseruandam Oligarchiam, nulla honestatis ratione habita, præcipere propositum fuisse animaduertit. Atqui eam ad rem utile est simulare & falsum iurare, quod nemo nisi prorsus rerum imperitissimus negauerit. Merito igitur hunc quoque conseruandæ Oligarchiæ modum præscripserunt.

**Iidē Ty-** Non alia ratione patrociniū ijs  
**rannidē** commodari queat, quæ ijsdem Aristoteli  
**cōserua-**  
**redocēt.**

teles

teles & D. Thomas Tyranno imperium conseruare cupienti s. Polit. i i. præcipiunt, quorum alia sæuitiæ & immanitatis habent plurimum, alia fraudibus & simulatione ac dissimulatione ferè absoluuntur. De priore genere hæc D. Thomæ lectione i i. verba sunt.

*Ad saluationem Tyrannidis expedit excellentes in potentia vel diuitijs interficere, quia tales per potentiam, Per fun quam habent, possunt insurgere contra mã cru Tyrannum. Iterum expedit interficere delitatẽ re sapientes. Tales enim per sapientiam suam possunt inuenire vias ad expellendam Tyrannidem. Nec scholas, nec alias congregationes, per quas contingit vacare circa sapientiam, permitendum est. Sapientes enim ad magna inclinantur, & ideo magnanimi sunt, & tales de facili insurgunt. Ad saluandam Tyrannidem OPORTET, quod Tyrannus procuret, vt subditi imponant sibi inuicem crimina, & turbent se ipsos, vt amicus amicum, & populus contra diuites, & diuites inter se dissentiant. Sic enim minus poterunt insurgere propter eorum diuisionem. Oportet etiam subditos facere pauperes. Sic enim minus pote-*

C. S. ruzza

runt insurgere contra Tyrannum. Procuranda sunt vectigalia, hoc est, exactiones multæ & magnæ. Sic enim citò poterunt depauperari subditi. Tyrannus DEBET procurare bella inter subditos, vel etiam ad extraneos, ita ut non possint vacare ad aliquid tractandum contra Tyrannum. Regnum saluatur per amicos. Tyrannus autem ad saluandam Tyrannidem non debet confidere in amicis.

Ad posteriorem modum hæc Aristotelis eodem capite verba pertinent: Tyrannus videri debet supplicia quidem animo paterno constituere, non per contemptum: adolescentum vero congressibus uti ex causa amoris, non ex imperio ac potestate. Hoc est, pueris & adolescentibus ad nefariam libidinem ita uti debet, ut illi id eum amoris, non contumeliæ causa, nec pro imperij licentia facere existiment.

Et hæc D. Thomæ lectione 12.

Expediit Tyranno ad saluandam Tyrannidem, quod non appareat subditis sauis, seu crudelis. nam si appareat sauis, reddit se odiosum. Ex hoc autem facilius insurgunt in eum. Sed debet se reddere reuerendum propter excellentiam alicuius boni excellentis. Reuerentia enim debetur bono excellenti.

Et

Et per  
simulatio  
nē ac dif  
simulatio  
tionem.

Et si non habeat illud bonum excellens,  
DEBET SIMVLARE se habere  
illud. Tyrannus debet se reddere talem,  
vt videatur subditis ipsos excellere in  
aliquo bono excellenti, in quo ipsi defi-  
ciunt, ex quo eum reuereantur. Si non  
habeat virtutes secundum veritatem,  
faciat vt opinentur ipsum habere eas.

Tyrannus debet aut moderatus esse circa  
voluptates aut delectationes corporales,  
aut si non sit, tamen se debet talem ex-  
hibere, vt videatur fugere eas &c.

Ista si quis ea diligentia & inte- Sed nihil  
gritate legat, quæ virum bonum, ita doc  
& politica discere paratum decet, do pec  
nullum omnino periculum est, ne cant.  
in errorem labatur, aut quicquam  
horum, quæ præcipiuntur, sibi fa-  
ciendum putet. Nam primum satis  
cauent modo loquendi hypothetico, Loquun  
velut paulo prius ostendi. nec enim, tur enim  
aliud dicunt, quam si quis velit ser- hypothe  
uare Tyrannidem, debet aut vsque tice,  
eo sauitia in subditos grassari, vt vl-  
tra nequeat, aut virtutibus simu-  
landis & dissimulandis vitijs bono  
principi similis effici. Dein suam  
ipsi sententiam sic varijs modis ex-  
planant, vt nisi quis legendi labo-  
rem fugiat, aut alioquin animo æ-

Pro-  
exa-  
matio  
annus  
ditos,  
n pos-  
con-  
ur per  
ndam  
ami-  
Ari-  
cinēt:  
idem  
con-  
gressi-  
perio  
ado-  
inem  
oris,  
o im-  
2.  
Ty-  
bditis  
pareat  
oc au-  
ed de-  
excol-  
Re-  
nti.  
Et

Et se ipsi  
fatis iter  
pretatur

grotet, sit extra omne depravationis  
periculum. Primū enim 5. Polit. 10.  
Tyrannidem subiectis populis pernicio-  
sissimam esse hoc probant argu-  
mento, quoniam ex pessimo tam Oli-  
garchiæ, quam Democratix genere  
fit conflata, & vtriusque vitia ac ma-  
la in se contineat. Et 4. Politic. 2. hoc  
afferunt argumentum quoniam opti-  
mæ ac diuinissimæ Reipubl. formæ,  
Regno puta, maximè aduersetur. D.  
Thomas præterea hoc ipso capite  
suam & Aristotelis mentem totidem  
verbis interpretatur :

*Ista & similia sunt Tyrannica, &  
saluant principatum. Sunt mala secun-  
dum seipsa, bona tamen ad saluatio-  
nem Tyrannidis. non sunt facienda  
simpliciter homini, sed ei, qui volue-  
rit saluare Tyrannidem, qua secundum  
se mala est. Et iterum: Quamuis  
hoc (præceptum de simulanda virtu-  
te quam non habet) non sit in se bonum,  
ad hoc tamen bonum est, ut Tyrannus non  
sit facile contemptibilis.*

Hic satis perspicue docet, istam  
conseruandæ Tyrannidis rationem  
absolutè ac per se malam, sed certo  
quodam respectu bonam, hoc est,  
vtilem, non honestam esse. Itaque  
si quis

si quis iam Princeps his D. Thomæ  
 verbis ad nequitiam abducatur aut  
 deprauetur, non eo contingere id di- Verb  
 cendum est, quod Thomæ verba sint eorū  
 lubrica ac legentibus periculosa, sed sunt  
 quoniam talis princeps animum ad brica,  
 impietatem, voluptates, fraudes, ac si viti  
 dolos propensum domo secum ad le- lector  
 ctionem attulerit, & Honestate olim  
 valere iussa, ad ea modo, quæ vti-  
 lia videntur, toto animi impetu fe-  
 ratur.

Ad hæc Generalem Aristotelis & Gene-  
 D. Thomæ in toto libro Politico in-  
 litionem esse apparet, vt Methodi intent  
 legibus obsecuti Rempub. & omnes  
 eius formas suis causis efficientibus,  
 conseruantibus & euertentibus ex-  
 plicent. cui proposito conueniens  
 est etiam de Tyrannide disputare,  
 quibusque ea modis durabilis præ-  
 stari seu conseruari debeat, præci-  
 pere. Specialis verò intentio est,  
 tradendis Tyranno Vtilibus, vel im- Et f  
 pedire Tyrannidem, vel emenda- cialis  
 re & tolerabiliorem reddere, quo-  
 rum vtrumque cum sit ex vsu gene-  
 ris humani, non modo nihil eos  
 contra Artem, sed neque contra  
 Prudentiam fecisse, ac propterea,

sine

tionis  
 lit. 10.  
 s perni  
 argu-  
 m Oli  
 enere  
 ac ma-  
 c. 2. hoc  
 m opti  
 orma,  
 tur. D.  
 apite  
 otidem

ca, &  
 a secun-  
 aluatio-  
 acienda  
 i volue-  
 cundum  
 Quamuis  
 a virtu-  
 se boni  
 annus nō

istam  
 tionem  
 d certo  
 hoc est,  
 taque  
 quis

sine perspicua imperitia & iniquitate reprehendi nequaquam posse, satis iam omnibus patere arbitror.

U<sup>t</sup> autem vsus eorum, quæ adhuc disputauimus, multo fiat manifestior, qua Methodo ac via progredi debeat, qui Censuram in Politicis scriptis exercere velit, distinctè præmonstrabo.

Si quis ergo scriptorem Politicum reprehendere cupiat, quid is peccarit, planum facere debet. Si peccauit, aut Artis seu doctrinæ, aut Prudentiæ Methodum neglexit. nam si neutrum fecit omni culpa vacat. Ut doceas peccatum ab eo contra Methodum Artis, necesse est ut demonstres, eum aut Aliena tractasse, aut Falsam. Si Aliena, aut ea quæ Genere, aut quæ loco Aliena sunt, tractauit. Aliena genere vel subiectæ materiæ, vel instrumentorum ratione. Subiectæ materiæ ratione aliena tractat Politicus, si verbi gratia Principem, ut Deum sibi reddat propitium, & æterna felicitate potiatur, verè pium ac religiosum esse, non autem pietatem & religionem præ se ferre, id est, id agere iubeat, ut qualis est, pius nimirum & religiosus, talis etiam ab alijs existimetur.

Nam

no re-  
ehedi  
beant  
litici  
cto-  
s.

i pec-  
cōtra  
etho-  
artis.  
actan-  
alie-  
gene-  
atione  
iecti.

Nam hoc nihil est aliud, quam tractare de salute animæ, quomodo scilicet Princeps animam suam seruare vel saluare possit. At enim anima Principis, aut salus animæ, non est subiectum Politicæ, sed Theologiæ, cum in Politica tractari debeat salus siue incolumitas status. Igitur hoc est, quod aiunt, *de genere in genus transire*. Instrumentorum ratione aliena tractat Politicus, si ea conseruandi status media seu modos præscribat, quæ ex sublimiori pendent scientia, vt si dicat, Principem debere creberrimo Sacramentorum usu, & assiduis orationibus, dandisque elemosynis Deum sibi reddere propitium: sic enim futuram, vt Deus Imperium eius prosperet. Hoc etsi salutare in primis præceptum ac Principis auribus animoque instillari dignissimum, tamen à Politica Schola alienum, tum propter arcanum Dei consilium temporalium bonorum concessionem ex usu animarum nostrarum moderantis nobis non explorato certum est. Nam istas Dei propitiandi rationes esse, ex Theologia discimus, simul autem & hoc, Deum non aliter Principis, quamuis religiosissimi, imperium

Et ratio  
ne inst  
mentor

rium prosperare, nisi sic ipſius & ſub-  
 iectorum ad animæ ſalutem intereſ-  
 ſe videat. Ioſiæ quidem, S. Ludouico,  
 aliſque ſpectatiſſimæ pietatis regi-  
 bus non aliam ob cauſam parum pro-  
 ſpere plurima eueniſſe ſcimus. Non  
 hic nego, vtiliſſimè, vel dicam neces-  
 ſario iſta Principi tamquam homini  
 & Chriſtiano præſcribi. Itaque ſuo lo-  
 co & tempore id fieri debet. In Theo-  
 logia (quo & Catechiſmus, ſeu doctri-  
 næ Chriſtianæ inſtitutio pertinet) &  
 in Morali Philoſophia ſimilia præci-  
 pi debent, non in Politica, niſi con-  
 tra quam ratio à Deo nobis data di-  
 ctat, ſcientiarum artiumque fines  
 tollere, & apedeuſiæ, confuſioni, tan-  
 demque obſcuritati & ignorantie  
 munire viam velimus. Si quis au-  
 tem dicat Politicus, Principem de-  
 bere vſu ſacramentorum, orationi-  
 bus, & ſimilibus pietatis exercitijs  
 religionis famam & opinionem ſi-  
 bi parare, nequaquam aliena do-  
 cet. nam opinio ſeu fama pietatis  
 conſeruat imperium, ſicut pietas  
 ſeruat animam, ac propterea ſicut  
 in acroaſi Theologica Princeps, vt  
 animam ſeruet, iubetur eſſe verè  
 pius, item in Politica ſchola, vt ſta-  
 tum ſeruet, docetur exiſtimari pius.

No.

*Nobis necessaria est vita nostra, a' ijs fama nostra,* ait S. Augustinus. Nam pietatis opinio amorem & reuerentiam Principi conciliat, quæ primariæ conferuandi status causæ sunt. nam libenter ei homines parent, quem amant ac reuerentur.

Aliena loco tractauit Politicus, si aut eadem sapius, aut quæ prius dicere debuerat, dicat posterius, aut vicissim Reprehensionem igitur meretur, si cum prius dixisset, Tyrannidē esse turpem ac fugiendam, idem postea inculcet, quando nō iam de Aditijs Tyrannidis, sed de causis conferuantibus disputationem instituit.

Falsa dixisse demonstrabitur, si verbi gratia inter status conferuandi causas ea præcipit, quæ statum mutant siue perdunt. nam cum status forma mutatur, quod fuerat status, esse desinit. Ita Religio ac verè virtutes non conferuant, sed perdunt siue euertunt Tyrannidem. nam si Tyrannus incipiat esse vir verè bonus, iustus ac pius, desinit esse Tyrannus, & vel in priuatorum ordinem transit, vel in bonum Principem mutatur. Ineptum igitur est & imperiti iudicis, Politicum repre-

Peccat  
etiā co  
tra M  
thodu  
artis tr  
Etates  
Aliena l

Et fal  
affirma  
do.

reprehendere, quod Tyrāno imperiū  
 conseruare cupienti non veram pie-  
 tatem ac virtutem, sed simulationem  
 pietatis & virtutis præscripserit. Falsi  
 etiam Politicus accusabitur, si aut bo-  
 num Principatum reprehendit, aut  
 vitiosum & iniustum laudauit, quod  
 id sit falsa Principatus Adiuncta tra-  
 dere. Item, si legitimo principatui ve-  
 ras virtutes nocere dixit. nam hoc  
 est falsum Repugnans, siue falsam  
 causam euertentem tradere. non  
 enim legitimo, sed vitioso tantum  
 Principatui vera virtus repugnat.  
 Alia tamen res erit, si Politicus non  
 de Virtute, sed tantum de opinione  
 virtutis loquatur. Sicut. n. quorumdā  
 vitiorum opinio nihil aut nocet aut  
 disconducit saluti Principatus, simi-  
 liter quarumdā virtutum opinio  
 nihil prodest, sed potius obest, quod  
 tamen non nisi ex euentu, seu per ac-  
 cidens vsuuenire solet, quoniam sci-  
 licet homines aut deprauatis sunt mo-  
 ribus, aut vitia à virtutibus nesciunt  
 internoscere. Itaque Princeps alias  
 nihil curabit, vt opinionem crudeli-  
 tatis & auaritiæ effugiat, alias Clemē-  
 tiæ & Humanitatis. famam à se vltro  
 amolietur. Nam imperium siue amo-  
 re, siue reuerentia aut respectu stabi-  
 litur. ◦

litur. Amorem vero & reuerentiã in animis subiectorum efficit non virtus in Principe, sed opinio in subditis de Principis virtute. Sicut è diuerso odium & contemptum efficit non vitium in Principe, sed opinio, quam de vitio eius habent subditi. Nam si Princeps sit impius, avarus & crudelis, habeatur autem pro pio liberali & clemente, sine dubio subditi eum amabunt & respectabunt seu reuerentur. Contra si eum credant esse impium, avarum & crudelem, etiam si reuera pius, liberalis, clemensque sit, odio eum prosequuntur & contemnent. Itaque si Politicus præcipit, Liberalitatis & Clementiæ famam Principi nocere, nihil pro temporum conditione dixit falsi, modo ne ipsas virtutes Principi fugiendas esse dixerit. Falsum similiter in Politico accusari poterit, si cum de principatu disputat, non qui aut absolutè ac simpliciter, aut pro rebus circumstantibus, aut ex hypothesi optimus, sed qui maximè communis & plerisque Principum accommodatus sit (nam de his omnibus agere ad Politici officium, pertinet, velut supra ex Aristotele & D. Thoma docuimus) tum igitur falsi arguetur, si talem principatum rigida



gida iuris & æqui ac fidei seruandæ religione conseruari affirmer. hoc enim falsissimū esse, vsus quotidianus siue experientia comprobat. nam plerosque principatus, qui iam à ducētis circiter annis in orbe Christiano fuerunt, certissimum est neque simpliciter, neque etiam pro locorum hominumque conditione optimos fuisse, quoniam potestas principū nimis soluta ac libera erat, nec satis legū vinculis adstricta, ita vt Aristotele iudice tolerabiliores quædam Tyrannides existimari possint. Hos tamen constat non tam iure ac legibus, aut fidei datæ obseruantia, quam partim vi aperta, partim dolo & fide violanda conseruatos & notabilibus incrementis auctos, atque in posteritatem propagatos fuisse, Deo propter occulta populorum peccata id permittere. Nihil igitur peccat Politicus, si tractet de Principatu maximè communi & vsitato (nam in hoc subiecto eum occupari conuenit) neque si eum non semper iuris & æqui, siue honesti cura, sed vbi sit occasio, violentia, astutia ac perfidia seruari doceat. Peccat tamen, si talem Principatum laudat, quoniam falsum eius Adiunctum tradit, cum  
lau-

laudabilis haudquaquam fit, sed multis modis iniurius & infamis.

Iam ut Politicum Prudentiæ Methodum neglexisse vincas, necesse habes demonstrare, nihil eum cauisse, ne lectoris iudicium de rectè factisve depraueatur. Hoc autem ut præstes, eum cum vitiosi Principatus conseruandi modos tradit, Categoricalè, simpliciter & quemadmodum vulgò loquuntur, *assertiuè*, non hypotheticè, aut cum adiunctione seu conditione loqui, nec vllam excusandi sui rationem suppeditare planum facies, neque si ea excutias, quæ ille alibi de vitiosi Principatus, aut etiam causarum eius & effectorum Adjunctis tradidit, neque si vel generalem eius aut specialem intentionem scribendiue consilium, eo quo supra ostendi, modo expendas.


Si enim appareat, id, quod toto libro habuit propositum, laudem mereri, neque vtilitatibus humani generis disconducere, idque quod de vitiosi Principatus conseruandi modis præcipit, aut impediendi, aut emendandi eiusdem Principatus vim habere: non magis eum, quam aut Aristotelem aut D. Thomam, im-

Reprehendi possunt Politici si contra prudenti Methodum peccant.

prudentiæ accusare possis, quando  
 eum istorum cum præceptis, tum  
 exemplo congruenter de repub. di-  
 sputare cumulatissimè demonstraui-  
 mus.

FINIS.






sana-  
, cioè  
gl'in-  
unque  
asimi,  
ordina  
per lo  
ad ho-  
sodis-  
iti ar-  
ppres-  
gliono



187 - 191

1817  
Pv





(2)

C. V.

G A S P A R I S  
S C I O P P I I  
C Æ S A R I I E T R E G I I  
C o n f l i a r i j

MEDIA POLITICES

